Σ. Θ.

21

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS.

In qua

OBEX CURATIONIS MORBORUM

tam frequens quam gravis,

Occaſione Hippocrat. Aph. 52. S. 2. monſtratur,

Favente DEO T. O. MAX.

Decreto & Authoritate Inclyti Medicorum Ordinis, in Antiquiſſima EBERHARDINA,

PRÆSIDE

DN. ELIA RUDOLPHO CAMERARIO,

Phil. & Med. Doct. ac Prax. Prof. Publ. Ordinar. Conſiliar. & Archiatro Würtembergico, Facultatis p. t. DECANO Spectatiſſimo.

PRO LICENTIA

Summos in Medicina Honores, Inſignia ac Privilegia DOCTORALIA legitimè conſequendi,

Solenni Examini ſubmiſſa

à Glocken.

JOHANN-GEORGIO Blocken/Hala-Suev.

IN AULA NOVA, d. April.

TUBINGÆ,

Typis GEORG-HENRICI REISI, Senioris.

ANNO M DC XCI.

Σ. Θ.

Hippocrat. Aphor. 52. Sect. 2.

ΠΆντα κατὰ λόγον ποιέοντι καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον, μὴ μεταβαίνειν ἐφ' ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

Omnia ſecundùm rationem facienti & non fientibus illis, quæ ſecundum rationem ſunt, non transgrediendum ad aliud, manente eo, quod viſum eſt in principio.

Thesis I.

NOn in ſola *Theoria*, non in ſola ſpeculatione ſubſiſtit Medicus, ſed, ut *Hippocrates* hîc loquitur, ποιεῖν eſt ipſius officium; nec enim, etſi curioſisſima indagatione ſubtilive diſputatione quid accuratè ſatis enodârit, ſuo munere functus cenſendus eſt, niſi id in proximi uſum actione ſeu *Praxi* applicuerit. Sed iſta Actio prægreſſam requirit Theoriam exactam, non enim quævis, abſque ſufficienti quà varios Status ſubjecti ac objecti Medicinæ cognitione, Medica ſtatim dicenda, non quævis in medicando actio ſtatim

ad legum & regularum normam Arti congruarum inſtituta ac formata eſt; hinc *κατὰ λόγον* ut faciat ſive agat, requiritur.

II.

Quando Medicus morbi Ideam, Subjectum, Cauſam proximam, mediatas tàm remotiores, quàm propinquiores, ipſarum lædendi modum, Adjuncta morbi accidentalia, Tempus, Durationem ordinariam, Eventum ejusque modum & alia neceſſaria *cognoſcit* ex debitis ſignorum fontibus, quando *Indicantibus* primariis lege legitimæ *medendi Methodi*, quæ utrique Medicorum cruri innixa cynoſura eſſe debet, opponit *Indicata*, hæc ſecundum conditionem Indicantium ſecundariorum (ut vocari vulgò ſolent, propriè enim loquendo non indicant, ſed determinant Indicatum primarium) Conſentientium, Coindicantium, Permittentium, Prohibentium, Contraindicantium, &c. naturalis in corpore adhuc ſuperſtitis conſervationem aut augmentum exigentis, virium, temperamenti, ætatis, ſexus, habitus corporis, vitæ generis, idioſyncraſiæ, partis affectæ, hujusque texturæ, nobilitatis, ſenſus, confirmationis, connexionis, ſitus, functionis, partis medicamentis tranſitum concedentis, ſiderum influxus, aëris, cœli ſtatus, regionis, anni temporis, habitationis loci, cibi & potus, conſuetudinis, morbi longitudinis, vel brevitatis, temporis, paroxyſmi, cauſæ morbificæ adjunctorum &c. reſtringit, limitat, definit, accuratè determinat, hæcque exequitur *remediis* ex Armamentario vel Pharmaceutico, vel Diætetico, (nam & hoc ad Curationem Therapeuticam, non ad ſolam conſervationem ſpectat) vel Chirurgico, nonnunquam ſingulis, *formulas* illorum format pro Cauſa & ſubjecti exigentia,

pro

pro modo agendi medicamentorum, ut ita actio medicamenti & actuatio illius, actio in cauſam, & reactio illius, actio in ſubjectum, & hujus quà craſin, texturam, figuram, poros, &c. immutatio neceſſaria probè conſideretur, ac intendatur, quando *quantitatem*, *tempus*, *modum*, *locum*, & reliqua circa remedia applicanda accuratè determinat & obſervat: Quando *ita agit* Medicus, *κατὰ λόγον* agit. Et quidem non unum aut alterum ſolùm, ſed *πάντα*, *ſingula* enim penſitanda penſitare, ad quævis cùm judicio attendere debet Medicus.

III.

Cæterùm, ut omnia fiant ratione, non eſt certè cujusvis Medici, ſed ejus tantùm, qui ea peritia rerum, quas Medicum cognoſcere decet, præditus eſt. Sunt verba *Fuchſii noſtri* in Comment. Aphor. hujus. Judicare hinc facile eſt, an *κατὰ λόγον* agant ii, qui, ut *Lanſius noſter* conqueritur, in Grammatica Pulli, in Poëtica nulli, in Logica aſini, in Rhetorica muli, porci in Ethicis, canes in Phyſicis, boves in Arithmetica, bardi in Mathematicis, inque cæteris Philoſophici regni partibus talpæ & in congreſſibus familiaribus magis muti quam piſces, audent tamen temerarii illotis manibus Sacra Aſclepiadéa attrectare; vel, quibus à J. V. *Andrea* Mythol. Chriſt. in Experimentorum Collegio aſſignata eſt perampla contignatio, habitata frequentiſſime à Mathematicis, quos Circuli quadratura fefellit, Chymicis, quibus Azoth evolavit; Mechanicis, quorum perennis motus quievit; qui conſtitutionem corporis naturalem ignorant, inde de præternaturali judicare haud valentes, qui de vero partium uſu, conformatione, ſitu, conſenſu mutuo & connexu, de vaſorum origine, diductione, progreſſu, ramificatione, communione, inſertione, de fluidorum

utriusque conditionis craſi, textura, motu, &c. parùm imò nihil norunt; qui cruentationem manuum metuentes interiora corporis non ſcrutantur: qui cultrum ad ſuas hypotheſes cogunt: qui, ut *Steno* loquitur, artificiosè & ingeniosè ſecando partes pro ſua firmanda ſententia formant: qui ſigna eorumque fontes non norunt, ex unico fallaciſſimo ſingula prædictione certisſima ſe eruturos mendaci verſutia gloriantur: (quis non miretur Uroſcopū Judæum cæcum, quem *Euricius Cordus* deſcribit) qui ſoli fidunt ſpeculationi neglecto exercitio, vel huic aſſueſcunt absque ulla Theoria: qui ſecreta ſe poſſidere jactant, hisque ſolis ſe alios ſuperare præſumunt: qui cum aliis doctis & veris Medicis conſultare recuſant: qui ex arrogantia & famæ captatione contradicendi laborant ſtudio alios juxta ſe temnentes: qui ſolos ſe veros Medicos profitentur, ut ille, qui milleſimo quoque anno unum tantum excellentem & perfectum Medicum fuiſſe, ſeque è millenario ſeptimo ſeptimum eſſe ſcripſit: qui ſolos ſe Adeptos eſſe, univerſalem poſſidere Medicinam gloriantur: qui, ut *Paracelſus* animadvertit, ſolum corticem lambunt, nucleum non tangunt, qui ut *Galenus* jam ſuo tempore conqueritur, arroganter ſibi alicujus ſectæ principatum uſurpant, artis verò opera nunquam in exercitationis uſum duxerunt, quibus nihil videtur tam difficile, quod non intrepidè profiteantur, qui ſcribunt nonnulla, perinde ac ſi frequenter conſpexerint, quorum tamen nè ſomnia quidem unquam viderunt, & plurima nunquam ſe vidiſſe ajunt, quamvis creberrimè conſpexerint: qui duci quam ire malunt, authoritatem hujus vel illius omnibus ratiociniis & experimentis præferentes: qui antiqua ſpernunt, quia antiqua, qui nova rejiciunt, quia

nova:

nova: qui nihil credunt, præter quod vel hic vel ille Author, cui cœcos ſe totos dederunt, dicit: qui connivendo, ſimulando, adulando ægri gratiam, favorem ambiunt, ſanitas ſive promoveatur ſive non: qui famam, lucrum, non valetudinem proximi pro primarió habent ſcopo: qui ex unico experimento ſæpè non debitè definito univerſale formant theorema.

IV.

An κα]ὰ λόγον agant, qui de cauſa, ſubjecto, idea morbi parum ſolliciti accuratè illa non ſcrutantur, ſigna hæc detegentia non applicant debitè, ſed ad ſuam præconceptam hypotheſin firmandam diſtorto collo trahunt: qui deſides, ignavi, alienis intenti, vel ſtupidi ex uno vel altero ſigno mutilo, inſufficienti concluſionem formant impertinentem: qui Methodum medendi penitus ſpernunt, attendendam non eſſe contendunt, per præcepta generalem addiſci poſſe negant, ipſamque ex ſuo ſuffeni formant cerebro: qui indicantium primariorum conditiones & requiſita non ingenioſè examinant, absque ſecundariorum exquiſita conſideratione determinant: qui in veram morbi cauſam non inquirentes, producto ſeu ſymptomati opponunt curam: qui cùm morbi cauſam ignorant, aut, nè ſollicitè meditari opus ſit, ad ſcorbutum vel affectum hypochondriacum, vel obſtructionem venarum meſaraicarum, vel catarrhum omnes referunt morbos, aut ad veneficia, incantationes, ut ſuam tegant inſcitiam, reducunt, aut penitùs novum morbum eſſe dicunt: qui diverſis morbis idem opponunt remedium, uno quaſi calopodio adverſus quælibet mala omnem muniunt pedem, & eadem fidelia omnem inducunt incruſtantque parietem: qui τὸ quantum, quando, ubi & modum

dum remedia adminiſtrandi vel negligunt, vel absque ullo judicio determinant, imò perverſum præſcribunt & noxium: qui credunt, quicquid ab adſtantibus, tonſoribus, empiricis, obſtetricibus, mulierculis refertur, juxtaque horum relata & placita ſuam formant curam: qui remediorum materias è triplici regno non norunt, neque ab externa facie, neque ſecundum interiorem illorum ex quibus conſtant, aut in quæ rediguntur, indolem: qui ipſorum agendi modum ex ſola traditione absque ullo ratiocinio definiunt: qui ſola volatilia relegatis fixis, aut ſola fixa abactis volatilibus exhibent: qui miſcere jubent non miſcibilia, confundere ſe invicem deſtruentia: qui ſola & frequenter reiterata materiæ, ut loquuntur, peccantis per purgantia ſive *ἄνω* ſive *κάτω* eductione omnes absque diſcrimine morbos tollere ſatagunt: qui manualium operationum inſtrumenta ac modum ignorant à ſolis dependentes miniſtris: qui diætam quamvis concedunt: qui minorem conſcientiæ quam famæ curam gerunt. Charta priùs deficeret, quàm plurima illa, quæ non *κατὰ λόγον* à multis fieri conſueverunt, præſertim Pſeudo-Medicis tam latiſſimè diffuſis, quos in quinque redigit claſſes *Rubinus* Jatrograph. Tales ipſi ſunt 1. Diſcipuli & inſtrumenta Diaboli. 2. Artis ignorantes, nebulones. 3 Artis hæretici. 4. Artis inſtrumenta. 5. Ignorantes, ſimplices. In hac enim Artium ſola evenit, ceu *Plinius* loquitur, ut cuicunque Medicum ſe profitenti credatur, cùm ſit periculum in nullo mendacio majus. *Celeb. Bruno* de Method. Medend. cum ſubcontrarietate §. 14. inquit: *Profectò quicunq; probè calluerit Medendi methodi veram rationem & ſedulò exercuerit, ille verum & unicum certiſſimumque poſſidet artis Medicæ arcanum, myſterium & ſecretum, ſicut rectiſſimè quondam*

quondam judicavit Capivaccius. Hic absque omni jacturâ & detrimento artis ſuæ relinquat Empiricis, Paracelſicis, Helmontianis & ſimilis farinæ hominibus ſuas Panaceas, Catholica Experimenta, arcana arcanorum, aſtralia, centauria, aut quocunque tandem nomine jactantiori & glorioſo, plerumque commentitio ac falſo, veniant; Imò Medendi methodus eſt verum Criterium, quo diſcernitur Medicus reverà talis ab illis, perſonam Medici qui ſimulanter agunt. Hæc Bruno.

V.

Κατὰ λόγον verò modo θ. 2. dicto cùm agit Medicus, nec ſequitur *effectus* is, qui κατὰ λόγον eſt, non ille, quem per Medicamenta ad prudentiæ Practicæ leges exhibita intendit, non tamen transgrediendum, tranſcendendum, tranſeundum eſt ad aliud. At frequentiſſimum hoc eſt, ut effectu deſiderato medicamentum (quod remedio hîc æquipollere volumus,) non ſubſequente mox mutetur, ad aliud progreſſus fiat, ex impatientiâ frequenter *ægri* aut *adſtantium*, aliquando *Medici*, vel hujus inconſtantia, dubia titubatione, adulatoria indulgentia, metu tyrannicæ ægri pertinaciæ, indocta conjectura. Et talis medicamentorum ſeu remediorum perſeverantia ſublata, uſus citiùs juſto abruptus, eorundem innovatio, immutatio, ad diverſa, longè alia, contraria transgreſſio, frequenter *cauſa* eſt *morbi non curati*: *Obex* eſt Curationis tàm gravis, quàm frequens, impedimentum inſigne, Experientia Medicum prudentem id docente, quod rationes haud leves validè confirmant, ut ita allegatum *Aphoriſmum*, non tàm quia *Hippocratis*, quàm quia veritati nititur, approbemus & exponamus.

V I.

Potiſſima autem, quæ effectum remediorum impediunt,

diunt, & tamen ut in illorum uſu pergatur poſcunt, ſunt ſequentia: 1. *Cauſæ Gravitas. Hippocrates* d. nat. human. 25. 8. 9. ſcribit: *Curationem morborum inſtituere oportet, ut cauſæ morbi nos opponamus: Sic enim ſolvitur utiq; id, quod morbum in corpore fecit & præbuit. Lucianus* jam ſuo tempore dixit, eſſe maximas Artis & præcepta Antiquorum, ut detegatur priùs cauſa, quam initium fiat curandi aut amovendi mali. Cauſa morbum producens, fovens cùm vehemens, intenſa, pertinax, ablatu, correctu, reductu, inverſu, mutatu valdè difficilis eſt, cùm inprimis à parentibus communicatis ſtaminibus hæſit, ſenſim & ſenſim matureſcens, tandem in actum læſionis ex hac vel illa occaſione erumpens, cùm in utero fætui per ipſius nutrimentum communicata fuit, incrementum majus & majus capiens, cùm genito homini ſive tenero, ſive adulto ſuperveniens altas diu egit radices, cùm tegmen, quod illam diu occultabat, frenum, quod coercebat, ſuave, quod mitigabat, tollitur, cùm ob ſanitatis Præſidum imbecillitatem fortiores acquiſivit vires, cùm tàm in ſe quàm ob κακοήθειαν, magna, violenta, dura eſt, cùm principem obſidet partem, exaltata, magnitudine virtutis aut molis potens, fermento tincta eſt valdè activo, contumaci, longè à naturali recedente, cùm peſſimè corrupta eſt, cùm ex rerum non naturalium abuſu diuturno præſertim, ἀταξία corpori inducta fuit inſignior: Quis gravitatem cauſæ negabit? Et quidem, ſive cauſa talis ſit ſpirituoſa, ſive humida, ſive ſolida. *Spiritus* aliàs corpori naturales & neceſſarii ceu tenerrimi ſunt, ita facilè in alienam perverſam craſin, texturam non levem, non facilè mobilem abeunt, frequentiores, quam vulgò putatur, morborum cauſæ: Quàm obſtinata & medicamentis inobediens ſit in plu-

rimis

rimis flatulentia, incarcerata præſertim, quàm vapores & halitus (debitè explicentur) frequenter cum maximo incommodo exurgant ac redeant, quotidiè experiuntur Medici: *Sanguinis* particulæ à ſuâ harmoniâ ſuavi, concentu & conſenſu proportionato vehementer dejici, cum ſero variis heterogeneis, ſylveſtribus, peregrinis, altè penetrantibus, intima permeantibus, tingi, blandis mitibus ſalia domeſtica condentibus, mitigantibus privari, reliqui ſinguli liquores ventriculo, inteſtinis, pancreati, hepati, nervis glandulis & aliis partibus proprii à ſua indole, & mixtione naturali in alienum penitùs & p. n. ſtatum deduci cum vehementi intenſione poſſunt ac ſolent: *Continentes* ſeu *ſolidæ* corporis partes quando morbum gignunt, contumacia difficillimè domabili haud raro agunt, læſæ irritatæ ordini ac tranquillitati debitæ ſe reſtitui ſæpiùs diu non concedunt. Calculus, ſabulum, vermes, aliaque ſolida levi & facili negotio non tolluntur. Singulæ tales cauſæ cum vitiis ſuis ſive lædendi modis, qualitate, tàm irreducibili, quam reducibili, quantitate, motu & loco multum & enormiter laborare & peccare non poſſunt ſolùm ſed & ſolent. Cauſæ tàm vehementes, tàm intenſæ, tàm emphaticæ quin Subjectum à debita diſpoſitione multum dejiciant, quis dubitabit? hinc

V I I.

2. *Subjecti à Statu naturali magnus receſſus.* Quamdiu corporis humani machina quoad ſingulas partes minimas, maximas, ſimplices, compoſitas temperie amica, vigore per ſpiritus & ſanguinem animatos communicato, conformatione accurata, continuitate debita gaudet, ſalvæ ſunt actiones: Quando verò circa unam vel alteram à talibus requiſitis receditur à naturali

rali ſtatu, morbus oritur, quando receſſus iſte eſt inſignis, particulæ fluidorum à nativa indole ac textura multum abeunt, figuræ, meatus, magnitudo, numerus, ſitus, connexio, continuitas, &c. non leviter ſed graviter mutata, dilatata, anguſtata, inverſa, perverſa, ac ſoluta ſunt, quando, ut *Hippcrat.* ſ. 2. aph. 34. huic noſtro negotio applicemus, parti affectæ morbus affinis cognatus, familiaris non eſt, ſed peregrinus & multum aliàs ab illa abeſt.

VIII.

Tanta cauſæ gravitas, tantus ſubjecti à ſtatu naturali receſſus 3. *Subitò mutari non valent.* Nec enim in inſtanti iſtæ mutationes fiunt. Artificialia perluſtrentur quæcunque, quænam ſubitò ſunt facta? Ingrediatur quis officinas Chymicas, variorum artificum, etiam quorumvis opificium: Quæ, operationes absque temporis mora opus abſolvunt? Expatietur quis per patentiſſimum Macrocoſmi campum, triplex naturæ (tam rigidi non eritis, ut hoc vocabulum hîc exeſſe jubeatis) regnum quis perſcrutetur, quas ibi actiones in inſtanti, quas ſubitas reperiet mutationes. Ver & Autumnus media æſtatis & hyemis ſunt: Metalla in ſuis mineris & fodinis non quovis tempore generantur perfecta, plantæ folia, flores, fructus ſenſim protrudunt, equa non parit primo menſe, homo quot annos ad perfectionem requirit? Juxta comparationem duorum quorundam, ſc. ſpatii emenſi, & temporis, in quo pertranſivit & proportionis moventis ad motum habetur tertium. Veluti movetur longo tempore, & à magna proportione, ergo multum ſpatium emenſum eſt mobile, ut ex *Ariſtot.* 7. Phyſicor. docet *Cardanus.* Motus inteſtinus internarum ſubtiliorum partium (non ſolius

aëris

aëris aut ætheris poris incluſi) continuò excitatus ab agente vel agentibus extrinſecis occultè operantibus ſecundùm ſe inſenſibilis & ſolùm cognoſcibilis ab effectis, ordinatus à natura ad omnis generis mutationes tùm accidentales, tùm ſubſtantiales, quantum tempus, quot ſæpè annos requirat, docet tùm Illuſtris Boylei tum propriis experimentis Franciſcus Tertius de Lanis Magiſter. Natur. & Artis Tom. 2. libr. 3. Aſſiduo illiſu cavat undula ſaxum: Longa dies molli ſaxa peredit aqua: Longa dies homini docuit parere Leones. Ad Medico proprium forum ſi quis deveniat, quantum ſæpè noceant ſubitæ mutationes, Medicorum præſertim in S. 2. aph. 51. & noſtrum Commentatorum libri exponunt. *Alphei Mytilenæi* ſententia: *τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν ἄγαν με τέρπει*: placet. Obvia exempla illorum, qui ſubitò ex aëre clauſo carcerum ad patulum, ex ſummè frigido in ſummè calidum, ex ſumẽ calido in ſummè frigidum deducuntur, qui diuturna confecti inedia, confeſtim & una vice ad ſatietatem comedunt, victus potus genus ſubitò mutant, (inſigne exemplum in *Clemente Pontifice* refert *Seidelius* de morb. incurab. p. 38. & ſeq. Hanc & *Baudii* mortis cauſam dicunt) noxas tales monſtrant. Nec eſt, quòd in macrocoſmo hodie proh dolor! per ſclopetorum violentiam tot ædium ruinas, urbium devaſtationes, tot hominum ſtrages in momento quaſi factas, in Microcoſmo ſubitas à venenis, à cauſis internis mortes objicias. Nobis enim (nè de terminis illarum actionum dicamus) de ſalutaribus reparationibus, non de nocivis deſtructionibus eſt ſermo. *Celſus* l. 3. ſcribit: In morbis longis, quos tempus, ut facit, ſic etiam tollit, non ſtatim condemnandum, ſi quid non ſtatim profuit: minùs verò removendum, ſi quid paulum ſal-

tem juvat, quia profectus tempore expletur. Habent ſua tempora & morbi: Plerique ſunt, qui ſuum certum decurrunt ſpatium, qui pro ſua ceſſatione determinatum poſcunt terminum, nec ullo ariete ſe priùs ſummoveri patiuntur, quod & Medicos & ægros docent febres tàm continuæ quàm intermittentes, ſpasmodici affectus, colica, pleuritis, variolæ, furunculi, anthraces, carbunculi, tumores alii, &c. qui ut ad eruptionis nocivæ maturationem, ita etiam ad ablationis aptitudinem poſcunt tempus. Hinc non mirum, eos, qui ſuâ naturâ & indole longos morbos in principio ſe jugulaturos gloriabundi promittunt, ab Experientiâ quotidie refutari.

IX.

Præſertim citiùs his aſſenſum præbebit, qui penſitabit, quòd ſit 4. *Limitata medicamentorum actio.* Non vult legitima medendi methodus, ut illud quod in omni corpore, licèt morboſo, naturale manet, adeòque conſervandum eſt, tollatur, imminuatur, immutetur: Medicamenta dum exhibentur aut applicantur, agunt non in cadaver, ſed in corpus vivum, quod non penitus paſſivè ſe habet, agunt particulis tàm exterioribus, ut ita loquamur, quàm interioribus, actuantur (liceat hoc uti vocabulo) & ſub iſta actuatione variam evolutionem, activitatem, etiam ſufflaminationem ſuſtinent: ſubeunt unam & alteram mutationem in ventriculo, in ſanitatis negotio magis, quam cenſetur à plurimis, agente, in primis viis, in viſceribus, glandulis ab occurſu hujus vel illius ſucci, à pororum ductuum varietate, à fibrillarum, fermentorum varia diſpoſitione; ſuo tamen ſcopo tandem, non tamen prima vel altera hora, imò non primo vel altero die potiuntur, idque fre-

frequentioribus in caſibus. Quæ in quarto gradu talia dicuntur, deleteria ſunt, imò nec hæc ſemper ob ante dictas cauſas brevi tempore ſuum edunt effectum.

X.

Hæ potiſſimæ ſunt rationes, quæ ut pergatur uſu remediorum, ne mutentur, impellunt. Hinc e. g. (Authoritatum molem non cumulabimus) *Julius Cæſar Claudinus* de remediis generoſioribus hæc habet: Vaporariorum naturalium, ſudatoriorum, humidorum, ſiccorum, ſtupharum, fovearum, proſequendus uſus eſt ad 10. vel 12. dies. In Lutorum Medicatorum uſu perſeveratur per dies non minùs 12. aut 15. Medicamenta Chalybeata diu exhibenda ſunt; perpetim iis æger uti poterit, à minori doſi auſpicandum eſt, & ſenſim ad majorem perveniendum, liquoribus chalybeatis per extinctionem licet ægro per totum annum in potu uti. In decoctorum ſudoriferorum uſu proſequendum quo usque præſens fuerit Indicans, & ut plurimum ægri ſolent pervenire ad 40. dies, quem terminum nonnulli Philoſophantium omnibus contagioſis morbis præſcribunt. Sed aliquando ultra progredimur ad dies 60. aliquando citra ſubſiſtmus & ad 20. vel 30. diem deſiſtimus pro majori vel minori contumacia affectuum, qui curantur. Ptiſana ſæpiùs renovanda eſt ad diuturnum uſum, maximè æſtatis tempore, quo facilè corrumpitur. Vina medicata alterantia jugiter aſſumuntur. In uſu medicamentorum Vipereorum perſeverandum eſt per dies plures, 20. puta aut 30. In uſu juris Galli perſeverandum ad dies 15. aut 20. Juris pulli aut columbi 20. (frequenter ultra aſcenditur) In Lactis uſu perſeveratur ad dies plus minus 40. (contra phtiſin, podagram & alios morbos, quousque hujus uſus

ad annum imò ultra extendatur, notum eſt.) In ſeri uſu ad dies 15. (ſerum vel ſolum vel flor. roſar. recent. aliisve variis recentibus herbis & foliis tinctum per 3. quatuor ſeptimanas magno cùm commodo bibitur) Balneum aquæ dulcis continuatur ferè per menſem, pro thermis valdè calidis conſuetus numerus pro dierum 15. in mediocribus 20. in imbecillioribus 30. Vinaceis uti poterunt robuſti manè ſaltem 20. & ampliùs. Perſeveratur in uſu ſtillicidii, ſi ſit valdè calidum ad dies circiter 15. in reliquis ad 30. ſi bis in die uſurpetur, ſi ſemel, ad 60. Hæc *Claudinus*. Jam ſi addamus alia generoſiora, Acidulæ non poſt primum vel ſecundum hauſtum juvant, ſed 12. 18. 24. dies requirunt, imò melancholicis ad 4. vel 5. ſeptimanas curam, pro potu autem Ordinario per plures menſes non ſine laudabili effectu præſcripſit Præſes. De interni & externi uſus duratione vid. Diſſertationes Ipſius. Ulcera tàm naturalia quàm artificialia, ſimplicia & duplicia, ichorem pus, ſerum, ſanguinem ſudantia, ſtillantia, (abuſus uſum non tollit) non uno aut altero emenſo die aut menſe, ſed diuturno tempore juvant, nec tamen ſuo tempore conſolidationem reſpuunt. Salivatio communiſſimum hodie Luis Gallicæ remedium perſeverationem per multum tempus plerunque requirit, ſæpiùs tamen in uſum ducitur, cùm per mitiora idem imò cum minoribus moleſtiis, & noxiis ſequeretur effectus. Decoctum Theè & Caphé, non unam ſeptimanam ſed plures pro felici effectu ad debitum potus ſpatium requirit. Nec enim progrediendum medicamentorum uſu ſaltem, ut hactenus vocata fuerunt, generoſiorum: ſed & protractus ſimplicium, non compoſitorum, paucorũ, non plurium coacervatorum uſus inſignem in pluribus mor-

morbis præſtat operam. *Hofmannus* de method. medendi p. 276. ſcribit: In chronicis morbis alterantia 40. circiter dies continuanda & ultra.

X I.

DN. *Præſes* contra ægritudinem animi ex ſpirituum animalium opacitate, ad expanſionem ineptitudine, denſitate, obſcuritate, fuliginoſa tenebricoſitate, fumidâ obnubilatione, ſtrictâ depreſſione, & ſanguinis craſſitie, terreſtreitate, fixitate, aciditate ortam per menſem aſſumend. præſcripſit pulverem ex rad. bugloſs. lign. aloes, ſal. hyper. croc. orient. cornu alcis philoſoph. calc. cum aq. fumar. hyperici. ſcorzoner. ſyr. byzantin. & juſcul. meliſs. naſturt. aquat. fl. bugloſs. & radic. ſcorzoner. alterat. effectu ſubſequente optato. Aſthma à muco lento, viſcido, limoſo, pituitoſo, à ſanguine in volatilitate debita deficiente, nimis craſſo, ſpiritibus ſufficientibus debitâ craſi prædi tis non inſtructo, non debitè efferveſcente, non attenuato, non ritè accenſo, crudiore in pulmonibus ſtagnante, ad æqualem circulum inepto oriundum præcavit Pulv. ex Rad. ari præparat. helen. L. Saſſafras & Trag. Gabelkover. cum aq. veronic. diu continuato, præmiſſis ſpermat. Ceti & Gumm. ammoniac. Fl. benzoes & ſulphuris. Phlogoſes vagas cum ſcorbuto, à ſulphureis potiſſimùm oleoſis, reſinoſis & acribus ſingulariter particulis dependentes abegit uſu pilular. per 22. dies cum Aq. acetos. beccabung. acetoſell. ſyrup. granatorum aſſumptarum, juſcul. alterat. fumar. naſturt. aquat. aq. beccabung. acetos. acetoſell. & Emulſionum. Cardialgiam inductam à particul. non acidis ſolùm, non alcalicis ſolùm, non neutris ex harum pugna hoſtili vel amico coitu concretis, ſed acribus, irre-

gularibus, anomalis variè complicatis valdè diuturnam abſtulit uſu 20. dierum & quid. repetito, pulv. ex Ebor. præparat. CC. ph. calc. Cryſtall. præparat. Ocul. 69. præparat. ſpecific. Antiheċt. Pot. cum aq. tarax. ſenec. & brod. fol. violar. acetos. rad. cichor. alterat. ac pilulis Theriac. cœl. cum extract. papav. compos. ſæpiùs reiteratis. Vid. in Diſput. Caſ. de *Ægritud. Animi, Aſtmat. rar. Phlogoſ. vag.* & *Cardialg.* Contra aphtas partium internarum frequentiùs quam vulgò putatur dolorum internorum cauſas frequenter & feliciter per menſem & ultra Gelatinam ex raſur. Ebor. & C. C. liquidam cum aliis exhibet. Ulcera diuturna quam diuturnum medicamentorum uſum requirant, norunt omnes.

XII.

Protrahendus ergò remediorum nec innovandus aut immutandus uſus eſt, *μένοντ@ τȣ̃ δόξαντ@ ἐξ ἀρχῆς*, cùm indicans primarium ratione debita experimentis firmata formatum adhuc perdurat, ſecundaria non immutata fuerunt, eodem ſe omnia habent modo, quo ſub initium Curationis *κατὰ λόγον* inſtitutæ ſe habebant, cùm, ut *Libautius* loquitur, ejusmodi fuerit morbus, qualis ab initio extitit. At, cùm tempore morbus mutatur, cùm, ut frequenter contingit, cauſa morbifica ſive ob internas, ſive ob externas cauſas aliam induit faciem, ſymptomata vehementiora, diverſa planè producit, cùm nativi liquores vappidi, ſtagnantes lentè moti, effœti in motum aguntur concitatiorem, in orgaſmum rapiuntur, ut in Cachecticis, Chloroticis, cùm in hypochondriacis, ſcorbuticis vertumni inſtar ludit affectus, imò quando in acutis morbis, in malignis, ut aliquando fieri ſolet, per horas cauſæ modus agendi diverſiſſima producit ſymptomata, tunc utique ad aliud

tranſe-

tranſeundum, transgrediendum erit: Indicantibus variantibus, variant etiam indicata, varianda & remedia ſunt.

XIII.

Curioſioribus autem varia adhuc oboriri poſſent DUBIA, quorum ſolutio dicta hactenus pleniùs planiùsque explicabit & exponet.

DUB. Quoties pergitur uſu medicamentorum & tamen moritur Æger. *Reſpondent Quidam*: Moriatur, modò moriatur juxta Regulam. Nos *aliter*: Non quævis Regula ad Rationis & Experientiæ amuſſim formata, non quævis judicio practico expolita eſt, licet ſibi multi hac vel illa blandiantur: Regula autem debitè formata mortis cauſa nunquam eſt. Imò ſæpè non ſequitur effectus à medico intentus, cùm æger ſerò Medici conſilium implorat, priùs Agyrtas conſulit, curationem ultimo medicamento adſcribit, curis nimiis obrutus eſt, fraude circumvenit Medicum, moroſus eſt, ſciolus, importunè ruſticus, valdè mollis, effœminatus, viribus valde debilis: cùm & ii qui medicamenta præparant, & qui porrigunt, ſuo non funguntur officio, ægrum inobedientem reddunt, ſcientiam quam Medici majorem de ſe præſumunt, cùm aër, victus & reliquæ non naturales res & alia varia externa curationi obicem ponunt;

XIV.

D. Quis autem Ægrum imò Medicum certum reddit, hanc methodum, ſecundùm cujus regulas pergitur, eſſe legitimam, cùm tantus diſſenſionum Euripus, tanta ſententiarum divortia inter Medicos ſint: Moderni multi veteres Medicos exſibilant, rident, conviciis proſcindunt, imò homicidii reos accuſant: Ga-

lenica, apozemata, pulveres, Julapia, electuaria effœta eſſe, &c. utique non juvare poſt unam aut alteram exhibitionem, ſed chymica, ſpirituoſa, volatilia, eſſentias, extracta, tincturas, ſalia volatilia oleoſa, &c. effectus mox edere deſideratos dicunt Chymici: Galenici econtra noxas chymicorum, turbas, orgaſmos à Volatilibus inductos accuſant. Quivis ferè Medicus ſingularia habet Medicamenta. *Reſp.* Multum lucis, multum expolitionis, emendationis, augmenti Veterum Medicinæ acceſſit hodiè; Multum laudis debetur Recentioribus; At prima à Veteribus habent ſtamina Recentiores, licèt novum non ſit, Ipſos multa à Veteribus tranſumpta tanquam nova, tanquam ſua abſque ulla Veterum mentione adducere; Veluti de novis inventis non levia ex Veteribus Veſtigia produxit Ingen. *Ameloven*; ita inſignia loca, & quà morborum cauſas, agendi modos & ipſa practica hodiè pro novis vendita ta in Veterum monumentis oſtendi poſſent. Optandum eſſet, præſertim in ſtudioſorum Medicinæ commodum, qui facile turbantur, ut cum de hac vel illa Veterum ſententia illis quid proponitur, aliter quàm cum riſu & exſibilatione diceretur; plerumque enim qui hoc faciunt, vel ex cœco illorum, quos ſequuntur, ductu, vel etiam, quia nunquam legerunt Veteres, id agunt. Sed hoc potius agendum, ut per illa laudabilia Recentiorum tradita Veterum ſententiæ explicentur magis, emendentur, quomodo intelligi, quomodo conciliari poſſint, exponatur. Plurima enim quæ prima facie vel imperitis vel obſtinatis adverſa penitus videntur, facili, utili, & laudabili ſyncretiſmo conciliari poſſunt, imò quoties hi vel illi debacchantur contra taliter vel taliter ſentientes, quorum ſententiarum diverſitas in ſo-

la

la verborum varietate, ſecundum hypotheſes diverſas; re manente eadem conſiſtit. Hodiè verò clariora evidentiora magis proponi in multis utique gratâ mente agnoſcimus, & ob id Arti Noſtræ gratulamur. Eſt, ubi Galenica, ut à Modernis correcta, Eſt ubi chymica magis proſunt, Eſt ubi juncta magis proſunt. Ceu magnus committitur abuſus ab Illis, qui tot ſacchara-ta, tot perlata, tot confusè mixta præſcribunt: Ita & non raró ab Illis, qui nil niſi volatilia, ſpirituoſa propinant. Sunt, qui cauſas ſymptomatum in libris ſuis ex principiis Carteſianis exponunt, ipſisſima verò in cura præſcribunt Galenica, Veterum, quos rident, medicamenta. Ipſa decocta Theè & Caphè quibusdam tàm decantata, quid aliud quam Apozemata ad Galenicorum normam compoſita, præſertim prout curioſiores & delicatiores hodiè ſalviam, betonicam, fl. anthos, & alias herbas ac flores addunt. Curioſus ille & prudens dolus, quo exhibitum quisquiliarum & ſummitatum florum noſtratium ſylveſtrium ac fœni decoctum maximè ſatisfecit Théopotis præter alia docet, quid indigenæ noſtræ valeant eodem modo in uſum ductæ. Medicamenta illa imperitis videntur diverſa, non veris Medicis; Galenica & Chymica licèt appareant, non ſemper ſunt contraria. Plurima ſunt medicamenta earund. virium, verùm non omnia, ſed hæc ab hoc, alia ab alio Medico præſcribuntur. Diverſi ſæpè videntur affectus, e. g. Lues Venerea & Scorbutus, quibus plura medicamenta eadem opponere licet.

X V.

D. Cur omiſſa illa Nonnullorum circa hunc Aphoriſm. diſtinctio, dum diſtinguunt morbi cognitionem in ſcientificam & conjecturalem, hancque vel pro-

ximè accedentem ad ſcientificam vel longè ab ea recedentem, in duobus prioribus caſibus remediis inſiſtendum, in poſteriori ad aliud transgrediundum dicentes. *Reſp.* Ceu ſcientia demonſtrativa propriè ſic dicta in Arte Practica circa contingentia non datur: Ita Medicos κατὰ λόγον agentes agere ſecundùm conjecturam penitùs incertam maximè dubiam imò falſam non admittimus; hinc κατὰ λόγον agentes pergere volumus; ne autem, quod evenire nonnunquam ſolet, mutatione cauſæ modò factâ, conjectura (quam nos doctam ſemper præſupponimus) prima tanquam incerta falsò accuſetur monemus.

XVI.

D. Quoties à Medicis doctiſſimis, κατὰ λόγον agentibus in morbis diuturnis mutantur Medicamenta? *Reſp.* Fit, per remedia non quà ſcopum per Medendi methodum præfixum, ſed quà materiam remedii ſpecialiſſimam quà formulam, (hoc enim modo nonnunquam aliquid Ægro connivere, indulgere, concedere licet imò prodeſt) quà gradum diverſa. Hinc *Seneca* (licèt in moralibus multos Chriſtianos pudefacientis) pervulgatum illud, ubi remedia conſueta non proſunt, tranſeundum eſt ad contraria; Medicorum more. de Medicis rectè agentibus manente priori indicante negamus. Remedii quod indicatur non una ſaltem eſt, ſed plures materiæ in illo convenientes, medicamentorum campus tàm latus eſt, ut modò hæc modò alia viribus paria depromere liceat, modò gradu intenſiori, modò remiſſiori modò eodem, formula hac vel illa quæ rem non variat.

XVII.

D. Sed & ipſa diverſa morborum tempora mutatio-

tationem medicamentorum poſcunt. *Reſp.* Utique aliquando requirunt, in acutis præſertim, ac malignis. Aliquando verò mutatio ſaltem quà intenſionem aut remiſſionem ſimilium ac parium particularum inſtituitur.

XVIII.

D. Quid ſi *Celſum* ſequeremur ſuadentem, ut in morbis chronicis non citò commutentur remedia, ſed in acutis? *Reſp.* Etiam in acutis perſeveratio non rarò neceſſaria eſt, aliquando vero immutatio, quibus in caſibus, ex jam dictis patet.

XIX.

D. Subitæ mutationes per remedia è triplici armamentario petita, non rarò in morbis acutis juvant. *Reſp.* Subitum ſæpè auxilium præſtari quis neget? Sed tùm, cùm ipſa illa mutatio, ut *Viſcherus* Noſter ſcribit, reſpondet mutationi in corpore ægrotantis factæ, quāve velox motus & acumen morbi expoſcit. Nec tamen hæc ſemper ſubitò, ſi propriè loquaris, agunt; ſubitæ equidem aliquando videntur, ſed non ſunt.

XX.

D. Propter Errores Ægrotantium & miniſtrorum ad alia tranſeundum monet itidem *Celſus*. *Reſp.* Si fraudulenter tales cum Medico agunt, falſa ipſi narrant, vera tegunt, medicamenta adulterant, corrumpunt, cibos, potus nocivos præbent, &c. inſcio Medico nulla imputanda eſt culpa, multò minùs Arti; Talium utiq; ex improbâ fraude propinatorum medicamentorum uſus abrumpendus eſt.

XXI.

D. *Cardanus* in Aphoriſmum noſtrum commentans ſq. ponit: In ſexto Epidemicorum hæc habet *Hippocra-*

pocrates. Per adjectionem contraria adhibere & interquieſcere. Ubi *Galenus* ſuo more exponit. Verùm ſententia eſt: *Ut* cum volueris cognoſcere morbos, contrariis auxiliis adhibitis & interquieſcendo, intelliges qualis ſit: Quia à ſimili augebitur, à contrario miteſcet. Hoc igitur cùm videamus, nullum certius eſt experimētum. Nè ergò nimis etiam huic modo tribueremus curandi ac cognoſcendi, præcipit ut hæc regula adhibeatur: Quod ſi maneat ratio eadem qualis viſa eſt ante, quod non debeas permutare genus medelæ, nam ponamus quod morbus ſit frigidus & adhibuerimus medicamenta calida, fiet, ut ſi permaneant ſigna frigiditatis, ut nón decipiamur; nam ſi calidus fuiſſet, & ſi non curatus eſſet morbus, ſaltem ſigna morbi frigidi deficerent, tum quia erant falſa ſigna, tum quia corpus ex medicamentis incaluit; ergò non ſtaret ratio quæ ab initio viſa eſt. Non ergò manendum in eis propter primam rationem morbi, neque propter ſecundam per ſe, quia qui deceptus eſt in prima, potuit decipi in ſecunda: ſed quoniam illa prima ratio dum manet, ſignum eſt nos non eſſe deceptos in intellectu morbi. Non ergò ratio cognitionis morbi, ſed perſeverantia cum illis auxiliis indicat non eſſe mutandam curam. *Reſp.* Illa obſervatio quid ad ſuadendam continuationem conferre poteſt. Primaria tamen ratio eſt *κατὰ λόγον* inſtituta curatio. Medici veri ac prudentes non tam facile in determinandis indicatis decipi ſolent. Juvantia & lædentia potiùs, alimenta antehac uſitata, quàm nunc, medicamenta potiùs aliorum quàm ſua conſiderat Medicus.

X X I I.

D. Aſſiduo uſu fiunt tandem naturæ familiaria medi-

medicamenta, ſicque redduntur inutilia, ab aſſuetis non fit paſſio. *Averrhoes* dicit: Si æger ſola unâ uteretur Medicinâ, poſſibile eſſet, quod in habitum converteretur. *Cranen* d. homine c. 131. ſcribit: Non eſt corpus nimis aſſuefaciendum purgantibus, ut vulgò faciunt exhibendo apozemata purgantia quotidie, quod ipſum quam maximè in praxi improbamus: Sic enim poſtea purgantia, licet fortia fruſtrantur ſuo effectu, inertia jacent, nec operantur in corpore, quia ſic aſſumendo continuo particulis impugnatur, ita ut purgãtia magnam proportionem accipiant ad ſanguinem, hoc eſt, ut materia primi elementi per purgantium poros fluens, antea inſueta, poſtea fiat ſanguini amica & naturalis. *Reſp.* Aliquando contingit tale, potius tamen quà purgantia, quam quà alterantia, nec tamen ſemper; inducias quasdam in nimis protracto uſu concedimus non ſolum, ſed & ſuademus: Variare etiam medicamenta licet, imò prodeſt, ſed, ſi manet, quod in principio viſum fuerit, ſaltem quoad vel materiam vel formulam, vel gradum; Hæc autem diverſo aut contrario prioribus modo non agunt.

XXIII.

D. Pergunt uſu medicamentorum Valetudinarii utriusque ſexus, nervoſarum partium affectibus detenti, Hypochondriaci, alii, præſertim Literati, ferè continuo tractu, manent tamen Valetudinarii. *Reſp. Dietterichius* in Jatreo Hippocratico p. 1462. Non eſt ut fatigent ſe literati quotidianis potionibus medicatis aut pilulis ſemel, atque iterum in quavis hebdomade deglutiendis. Qui perpetuum faciunt negotium naturæ, eam inſtaurando labefactant, multi nimium ſibi ſuoque judicio in ſe medicando tribuunt. Quamprimum

D lecto

lecto ſurgunt; adſunt confectiones variæ, quibus obliniunt ventriculum. Sub meridiem ſorbetur ante prandium aliquid vini medicati & in prandio aliud vel Atlanticum, vel Salviaticum adeſt. Veſperi deglutiantur globuli & quidem ex ſuperſtitione aliqua numero impares. Genus hoc medendi ſimile eſt verſuræ, cum in ære alieno diſſolvendo æs alienum conflatur, & debita debitis cumulantur. Debemus aliquid afflictæ valetudini, non omnia. *Addimus* nos: Hypochondriaci, ut vulgò vocantur, & ſimiles, frequenter nimia mole, nimis repetito uſu medicamentorum peccant. Et naturæ aliquando concedendæ induciæ à medicamentis, quæ non ſolùm illo, quo in uſum ducuntur momento, ſive tempore, ſed & diu poſt intermiſſionem ſuas adhuc exerunt vires, ut inter alia plura Pareſis ab acidularum & thermarum uſu abſoluto poſt unum vel alterum imò plures menſes nullis interpoſitis medicamentis ceſſans docet. Abſtinentia à medicamentis ad tempus ante deſcriptos haud parum juvare ſolet. Nec cuivis ſtatim moleſtiæ, cuivis ſymptomati, cujus ferociam talis morbo Latino detentus ob exaggerationem per formidulosi, timidi animi microſcopium factam majorem quàm revera eſt, ſibi imaginatur, opponenda illicò medicamenta; Minima ut Prætor, ita & Medicus, & Æger curare non debet. *Hofmannus* in Inſtitut. ſcribit: Si Medicinâ carere potes, ſtultus es, ſi te illi ſubjicis. Nè tamen quisquam talis ſibi fidat, (peccant circa hoc plures Literatis communiſſimo affectu moleſtati) ſed ut Medicum prudentem, doctum conſulat, monemus.

X X I V.

D. Quid ſi in cognitione morbi ipſe Medicus aberraverit, an ægro patientia noxia pergendum in medica-

dicamentorum uſu? *Reſp.* Poſito iſto, utique remedium, imò & Medicum mutare licet ægro, aut alium priori jungere, ut communicatis agant conſiliis. Non rarò autem hic peccatur, cum mox quando non evidens in melius apparet mutatio, alius vocatur Medicus.

XXV.

D. Quis non tali perſeverante Methodo juſtam præbet cauſam, ut iſtud ad omnes morbos & caſus remedium tàm ſarcaſticè cum tanto applauſu riſui exponatur. Cliſterium donnare, poſtea ſeignare, enſuitta purgare. *Reſp.* Vicibus valdè plurimis talibus peccari modis concedimus. Alia eſt noſtra Methodus his in oris. V. S.es & Purgationes repetere aliquando opus eſt, ſed caſus iſti multum rariores ſunt, quàm ii, qui circa alterantia, tàm pharmaceutica quàm diætetica continuanda; hi enim valdè frequentes ſunt.

XXVI.

D. Merè Empirici curant ſæpè feliciter absque omni Methodi cognitione. Quoties contingit, ut æger per aliquot dies vehementibꝰ torqueatur doloribus, æſtu uratur fervidiſſimo, lecto affigatur à membrorum impotentia diutiſſimè, licet à Medico imò & pluribus varia per dies per horas exhibeantur medicamenta, ſæpè moleſtiora quàm ipſe morbus, omnia tamen fruſtra, tandem ſupervenit Empiricus, Medicaſter, anus, unicum exhibet medicamentum & brevi tempore à talibus tormentis liberat ægrum. *Reſp.* Multum refert, quis, quomodo, quo animo de eventu curationis Empiricæ judicium ferat: Conferantur eventus infelices cum felicibus, & quando felices ſunt, inſciis ipſis, ſecundum Artis Regulas & Methodum actum fuiſſe rectè ſtatuit *Crato.* An ſola ultimi cibi portio, quia plenè ſa-

tiat, alimenti nomine venit? Medicamenta, quæ in talibus caſibus prægreſſa fuere, ſenſim & ſenſim ſuas peregerunt operationes, præpararunt immutarunt materiam morbificam, quæ tandem ceſſit iſti medicamento; imò quod magis eſt, talia tàm brevi tempore aliquando juvantia exhibentur in declinatione, ubi jamdum morbus ceſſat, hinc illud veriverbium: Felix Medicus qui vocatur in declinatione. Quæſo, qui tale ſub finem ſubitò, ut putat, juvans medicamentum poſſidet, aut æſtimat, exhibeat illud in principio aut augmento, deprehendet illum effectum non aſſecuturum. Natura ſæpè etiam morbo medicatur, cum effectus Empirico adſcribitur remedio, communiſſima illa fallacia non cauſæ ut cauſæ, ab imperitis in Medica Arte committi ſolita.

XXVII.

D. Non rarò etiam Doctiſſimus Medicus ſpecialiſſima, quà cauſam & Ideam affectus non primò ſtatim cognoſcit. e. g. Prima invaſionis hora imò die non mox, an ſit febris continua, an intermittens, an continua cum ſucceſſuris exanthematibus, an ſine his, an cum mitioribus? Medicus certus eſſe poteſt. *Reſp. Hippocrates* l. 6. Epidem. ſ. 2. t. 50. dicit: Te ad hoc exerceto in morbis, ſi nihil proficias, vide ſaltem, ne noceas. Verùm, pace *Hippocratis*, Prudens Medicus in generalioribus, usque dum, quod brevi fit, ſpecialiora ſe prodant, ſubſiſtens præſcribit talia, quæ non ſolùm non nocitura, ſed & profutura novit, quod & optimè in talium invaſionum principio præſtat. Dantur remedia pluribus Indicationibus ſatisfacientia. Studet & Medicus in plurimis morbis, ut morbum in centro retineat. Nec tamen approbamns illorum jactantiam, qui

unico

unico remedio omnium morborum capita ſe detruncaturos promittunt, hinc jactantur Medicina Univerſalis, Panacéa Catholica, Lilium Antimonii, Veneris ſulphur, Augurelli Glaura, Mercurius Diaphoreticus, Ens primum ſalium, ſulphur metallorum, Balſamus Solaris, Arcanorum Gaza, Arbor vitæ, Lapis Philoſophorum, &c. Sed jactantur quidem talia, verùm non producuntur, & ubi ſub talium pompoſorum titulorum ſchemate producuntur, effectum promiſſum non edunt. Polychreſta multa cum fructu adhibentur, ſed panchreſta potiùs dicuntur quam ſunt.

XXVIII.

D. Purgantia medicamenta in ſe ſunt deleteria, venena colliquantia, ſuccos laudabiles corrumpentia, carnes viresque corporis atterentia; &c. Hæc ſi continuantur aliquandiu, quales noxas corpori inferent? *Reſp.* Purgantia omnia ſine diſcrimine levia, mitia, mediocria in omnibus ſubjectis, Indicantibus præſentibus iſtis inſignire characteribus veritati non litat, ſed eſt ingenii opinio, quod dùm animadvertit unum vel alterum abuſum, vel ex famæ aucupio, vel ex præconceptæ hypotheſeos nimia fiducia, vel ex nimia Præceptoris veneratione vel ex alia cauſa totalem rejicit uſum. Non raró Purgantium adſunt Indicantia legitima, abſentibus Contraindicantibus, hinc mitiora vel mediocria exhibet Medicus teſte experientia, effectu manifeſtè ſalutari. Maximoperè autem hic peccari, frequentiſſimè in purgantium propinatione ſimplici, vehementia, reiteratione quotidiè cum multorum ægrorum inſignibus noxis, magnos committi exceſſus, non dubitamus, ſed dolemus, hinc illorum, quos Stercorarios quidam vocant, cauſam non defendentes. Simul au-

tem ſatis mirari non poſſumus, Quosdam hodiè tàm atro carbone notare omnia purgantia lenia, dura, lenta, violenta, eosdemque verò frequentiſſimè exhibere Vomitoria, quæ per motum illorum ventriculi imò totius corporis præternaturalem ſpasmodicum violentum (nam inter centum vix unus aut alter aſſuetus eſt) non è ſolo Ventriculo educunt illas, quæ ſequuntur, ſordes, quæ ſimul, teſte optima rerum Magiſtra, per alvum eodem penitùs modo, quo purgantia, agere & educere ſolent. Nè dicamus nunc de iis, qui cuicunque anorexiæ etiam à ſpirituum defectu oriundæ, cuicunque cardialgiæ etiam ab aphtis internis genitæ &c. mox & repetitis vicibus Emetica, (quo cum effectu quæratur ex ægris querulis) exhibent.

X X I X.

D. Tandem cum primo coincidens poſtremum fatigabit Dubium: Quicquid dicatur, imperfecta eſt & manet Medicina, Conjecturalis eſt; cur malum non tollitur, cur tot moriuntur *Ægri*? Dub. quod & ægri & adſtantes movent, modò non & proh dolor! unus aut alter illorum, qui ægris animum addere, iſtos conſolari & ab impatientia talia ſuggerente præſervare, liberare deberent, aliquando repeteret. *Reſp.* præter illa, quæ ad primum dubium: Omnes & ſcientiæ, & artes quæcunque ſint in hac vita imperfectæ ſunt: Non tamen tàm manca, mutila, dubia, nulla eſt ars ſalutaris, ut quidam Oſores, Violenti, Impatientes, &c. putant. *Cicero* l. 2. d. Natura Deor. ſcribit: *Ægri* quia non omnes convaleſcunt, non idcircò nulla Medicina eſt. *Seneca* Epiſt. 95. ad *Lucilium*: Non ideò nihil ſanat Medicina, quia non omnia. Scelere fateor in hac divina ſcientia ſe contaminant, qui cum poſſunt juvare, nolunt: Sed etiam temeri-

meritate hi, qui volunt ea, quæ præſtare non poſſunt, ſcribit *Camerarius* Memor. Medic. centur. 1. partic. 44. Novimus nos curam gerere hominum mortalium. Non ad evitandam mortem data eſt Ars Medica. DEI benedicens Dextra requiritur ad ea quæ Medicus tanquam miniſter ſuadet; Hanc ſæpè DEUS ſubtrahit, vel ob Medicum, vel ob ægrum, vel ob utrumque; vel ob alios. In tali tamen caſu, ceu in omni adverſitate, quo diutius perdurat, Chriſtianus precibus ad Beneficum Numen devotis magis magisque continuare debet: Ita Remediorum uſu pergitur, iteratis ſimul ad Summum Archiatrum pro felici eventu (*procul hinc eſtote prophani*) precibus; Ipſius benigniſſimæ voluntati committitur, reſignatur effectus & eventus.

Cujus immenſæ Bonitati pro hucusque ſingulari
conceſſa Gratia ſit Laus, Honor & Gloria
in Seculum Seculi.

I.

G*Lockius* in cathedra nunc tintinnabula pulſat;
Laus ſonitum referat: tinniat ipſe bene!

Nobil. & Clariſſimo Dn. Candidato Reſpondenti, Commenſali ſuo per medios quoq; Tubiis noſtris Muſis infeſtos admodùm Gallorum inſultus exoptatiſſimo, ſuaviſſimo, paucis hiſce proſpera quævis comprecatur.

Johann-Adam Kurtzer/ D. P.

II. *Con-*

II.

Contra iſtos obices Medicum { ſapientia / patientia } firmat:
Sedulus has Praxi jungito, proſper eris!

Clar. DN. Candidato
cum Voto
Omnigenæ felicitatis
ſcr.

Rudolphus Jacobus Camerarius,
Doct. Phys. Prof. Ord.

F I N I S.